

Sed putat communionem eam non modo non facere amicitiam, sed contrarium quoque efficere et rationem subdit, quia scilicet aquosa quaedam ὑδαργῆς amicitia gignatur:³⁷ *Ut paucum dulce in multam aquam commixtum insensibilem facit temperaturam.*

5 Pulcherrimum sane exemplum, sed ad rem nihil faciens neque enim in solis est nominibus οἰκειότης, *affinitas*, sed in rebus ipsis dixit enim Plato:³⁸ *Et actiones omnes secundum nomina agere*, per educationem, per instituta, per praesides, per leges. Ita assuefactis civibus alioquin virtutes, quas Aristoteles per frequentes

10 actiones parari docet, numquam acquirerentur, nisi educatio ac frequentes actiones etiam ad amicitiam illam conferrent.

Quod autem ait:³⁹ *Duo enim sunt, quae maxime curam ingerunt hominibus et amorem proprium et amabile.* Verissimum sane est, sed quod additur est falsum:⁴⁰ *Quorum neutrum possibile est inesse iis, qui ita habent civitatem institutam.* Sed utrumque habebunt, omnes enim filios uti proprios amplectuntur, qui si recte instituantur, quomodo etiam non erunt ἀγαπητοί, *amabiles*? Neque enim multitudo filiorum facit, quin minus sint proprii et minus amentur.

Quod vero subdit de translatione filiorum agricolarum et artificum in custodes; et ex his in illos, nusquam est prius illud a Platone dictum, ut illorum filii in custodes surrogentur, hoc vero secundum non nisi ratione poenae, si quando scilicet in acie ordinem quis deserat vel arma abiciat vel quid tale aliud faciat, in officium ac agricultorum ordinem detrudendum iubet. Quare non sequetur quod inter hos translatos, uti ipse interpretatur:⁴¹ *Iam olim dicta, iniurias, amores, homicidia oriantur.* Itaque tota haec Aristotelis cavillatio perversa fuit et prave sensus Platonici detorti.

³⁷ ὥσπερ [ώς] {γάρ} μικρὸν γλυκὺν εἰς πολὺ ὕδωρ μιχθὲν ἀναίσθητον ποιεῖ τὴν κρᾶσιν. [ARIST. Pol. 1262b.17 – 18]

³⁸ καὶ τὰς πράξεις πάσας κατὰ τὰ ὄνόματα πράττειν. [PLATO, R. 463.d.1]

³⁹ δύο γάρ ἐστιν ἀ μάλιστα ποιεῖ κήδεσθαι τοὺς ἀνθρώπους καὶ φιλεῖν, τό τε ἴδιον καὶ τὸ ἀγαπητόν [ARIST. Pol. 1262b.22 – 23]

⁴⁰ οὐδέτερον οἶόν τε ὑπάρχειν τοῖς οὕτω πολιτευομένοις. [ARIST. Pol. 1262b.24]

⁴¹ τὰ πάλαι λεχθέντα {μᾶλλον ἐπὶ τούτων ἀναγκαῖον συμβαίνειν, οἷον} αἰκίας ἔρωτας φόνους: [ARIST. Pol. 1262b.29 – 30]